Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

das in animam infra corpus inclusam, quamdiu ego uixero. Dixit ei Narcissus: Ante dominum meum dabo tibi animam intra corpus inclusam manducantis et bibentis et dormientis et tamen uigilantis. Dixit ei demon: Quomodo iube me hic manere ista nocte. Dixit ei Narcissus: Si potes nobiscum manere, mane. Dixit ei demon: Si non expanderis manus tuas ad celos et non psallis deo tuo, possum hic manere. Dixit ei Narcissus: Numquam tibi bene sit inmunde spiritus. Non solum autem ego, sed et isti omnes mecum per totam noctem deo nostro flectent genua et laudes ei una nobiscum canent. Tunc demon ululatum teterrimum dire uocis emisit et nusquam comparuit. Sanctus autem episcopus fecit post ieiunium refici Afram cum matre sua et cum puellis suis. Que trementes pro eo quod audierant et uiderant, suis monitis et orationibus confortabantur. Ipse autem cum Felice diacono suo non refecit, sciens se tamen mane cum demone luctamen habiturum. Transiit itaque nox tota orationibus et psalmorum canoribus plena. Die autem orto affuit demon dicens: Memor esto sancte episcope iuramenti tui quod dixisti: Ante dominum tuum da mihi animam meam et corpus occidam et animam eius mecum habeam. Respondit ei sanctus Narcissus episcopus et dixit: Quia tu iura in nomine dei mei, quia statim uiuificas quem tibi dedero in potestatem, et si eum non uiuificas, iubeat te deus ire in abyssum. Dixit ei demon: Per ipsum qui nos cum principe nostro uicit, sic me non iubeat ire in abyssum, quia statim uiuificabo eum quem mihi dederis in potestatem. Dixitque Narcissus episcopus: Vade iuxta flumen alpium fontis Iuliarum, unde nemo potest aquam bibere, non homo, non pecus, non fera aliqua, quia draco ibi habitat, et de flatu eius omnes qui accesserint ad fontem moriuntur. Hunc uade et uiuifice et in potestatem tuam redige animam eius. Tunc exclamauit demon dicens: O episcopum inuidiosum, insuper me ligauit iuramento ut amicum meum occidam. Quem si non occidero, compellit me ire in abyssum. Tunc demon accessit et occidit draconem et liberatus est fons ad usum omnium usque in hodiernum diem. Per dies autem plurimos docuit eas uerbum dei sanctus Narcissus episcopus et baptizata est Hilaria cum filia sua Afra et cum puellis suis et generatione sua et cum omnibus amicis suis. Fecitque domum Hilarie ecclesiam et ordinauit eis presbiterum Dionysium auunculum Afre. Ipse autem Narcissus episcopus perfectis ordine rebus post menses nouem ad Hispaniam profectus est ad ciuitatem Gerundam, ubi multum populum deo acquisiuit per tres annos, et ita demum ad martyrii palmam cum sancto diacono suo Felice attigit.

Passio sancte Afre puellarumque eius.

Apud prouinciam Retiam in ciuitate Augusta cum christianorum esset gloriosa persecutio et omnes pro christi nomine uariis suppliciis afflicti ad sacrificia traherentur, contigit Afram notam, quoniam habebat facies publicas, quod esset lupanaria, a persecutoribus comprehendi. Que cum fuisset iudici oblata, dum interrogasset iudex et agnouisset quod esset, dixit ei: Sacrifica diis, quia expedit tibi magis uiuere quam inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt mihi peccata mea que ignorans deum gessi. Hoc autem quod me iubes facere numquam factura sum. Gaius iudex dixit: Accedens ad capitolium sacrifica. Afra respondit: Capitolium meum est christus quem habeo ante oculos meos. Ipsi cottidie crimina mea et peccata mea confiteor, et quia indigna sum ipsi sacrificium offerre, me ipsam pro nomine eius cupio sacrificare, ut corpus in quo peccaui dum penas pertulerit abluatur. Iudex Gaius dixit: Vt audio meretrix es. Sacrifica, quia aliena es a deo christianorum. Afra respondit: Dominus meus Ihesus christus dixit se pro peccatoribus descendisse de celo. Nam et euangelia eius loquuntur quod meretrix lacrimis rigauit pedes eius et indulgentiam accepit, et meretrices et publicanos numquam despexit, quos et secum manducare permisit. Iudex dixit: Sacrifica ut diligaris ab amatoribus tuis sicut semper dilecta eras ab ipsis, ut inferantur tibi pecunie multe ab eis. Afra respondit: Pecunias execrabiles iam numquam accipiam. Nam et quas habui quasi sordes abieci, quia non erant de bona conscientia. Nam nolentes accipere aliquos fratres meos pauperes in precibus rogaui ut a me dignarentur accipere et pro peccatis meis orarent. Si ergo quas habui a me abieci, quomodo potest fieri ut iterum accipere que quasi sordes abieci? Gaius iudex dixit: Iam te christus dignam non habet. Sine causa uis eum dominum tuum dicere, quia te suam non esse agnoscit. Meretrix enim que est christiana dici non potest. Afra respondit: Christiana quidem ego dici non mereor nec uocari, sed misericordia dei, qui non de merito sed de sua pietate iudicat, ipse me ad hoc nomen admisit. Iudex Gaius dixit: Vnde nosti quia te admisit ad hoc nomen?